



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 7. Monstrum à baptismo abhorrens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

sto gloria, Ecclesiæ denique ingens emolumentum, per imperatorij morbi squalorem, accessit. Nullus Chiron, nulla Podalirij manus tam fuit felix, vt non solum morbos, sed etiam morbis sanaret.

## §. VII.

*Monstrum à Baptismo abhorrens.*

Nec Baptismum honorauit tantum monstruositas in eo sanata, sed ipsa etiam monstra à Baptismo abhorrentia atq; refugientia. Vt enim vespertilioes lucem oderunt, ita sacra ista profani spiritus execrantur. Anno 1554. Stetini natus est infans, cuius vertici capitis infedit massa carnis, imaginē testudinis rufæ præ se ferens. In ceruice, muris instar, caudam tulit carnosam, sed albescentem, sine pilis. Capite erat Theritico, extantibus terribiliter oculis. Hic tam notatus infans cum portaretur ad Baptismum, mirabili corporis gyratione, horrendis vociferationibus, gestibusq; in hac ætate inauditis, denique dirissimis modis aduersatus est baptizatorio, vt ingens omnibus astantibus terrore incuteretur. Quid aliud voluit hoc monstrum, quàm cælum & orcum inter se pugnare? *Quæ enim participatio iustitiæ cum*

**Iac. Fin-**  
**celius de**  
**mirac.**  
**nostri**  
**tempo-**  
**ris, &**  
**Schenck.**  
**obseruat.**  
**16.**

**3. Cor; 6.**  
**14.**

*iniqui*



iniquitate? Aut qua societas luci ad tenebras?  
Qua autem conuentio Christi ad Belial? Vos  
quoque, peccatores, monstra estis; si vul-  
tis sanari, ecce praesens est in Sacramentis  
diuinis medicina: sin pertinacia placet, no-  
lite sacra profani contaminare.

§. VIII.

*Etiā Confirmationis Sacramento monstra-  
curata esse.*

In hanc rem si velimus animum inten-  
dere, plurifariam talia contigerunt, vt eti-  
am ceteris diuinis Sacramentis authoritas  
adderetur. Sicut enim, quando *praeteriens Ioan. 9. 1.*

*IESVS vidit hominem caecum à natiuitate:  
& interrogauerunt eum discipuli eius. Rabbi,  
quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt caecus  
nasceretur? Respondit IESVS: Neq, hic pec-  
cauit, neque parentes eius: sed vt manifesten-  
tur opera Dei in illo: ita & saepe aliàs euenit.*

Notissimus ibat per Sueciam puer, quem *Surius 4.*  
itidem mater caecum pepererat. Hunc *S. Feb,*  
*Rembertus secundus Bremensis Ecclesiae*  
*Archiepiscopus, in Sueciam profectus,*  
*pontificali ritu, sacro chrismate inunxe-*  
*rat; & quem caecum tetigit, vngendo red-*  
*didit videntem. Quo prodigio vnà & pue-*  
*rum, & regnum illuminauit. Ad eundem*